VIRO
Nobilissimo, Amplissimo atqve Consultissimo,
DOMINO

DAVIDI FADEMRECHTIO,

Praeconsuli Mariaeburgensi meritissimo,
itemqve *Præsidi* Gravissimo,
Filii unici,

IOANNIS IACOBI,

Artium liberalium in Gymnasio Thorunensi Studiosi
solertissimi,
pramaturum obitum,
qvi d. XXVII *Augusti* A. cIↃ IↃccXII.
accidebat,
acerbe lugenti,
tum consolandi officium praestare
tum & Auditori suo carissimo,
monumentum ponere,
L. M. Q.
volebat
Petrus Iaenichius, Gymn. R. & P.P.

THORUNII,
Impressit JOHANNES NICOLAI, NOBIL. SENAT. ET GYMN. Typographus.

ADeone infestum esse consiliis nostris aeternum Numen ac qvodammodo reluctari proposito videtur, ut, dum pro incrementis Gymnasii omnes evigilamus curas, fatali casu sedulos agendi conatus perturbet, ac dura mortalitatis lege iniecta, seriem rerum perrumpat quasi & infringat? Ea quidem omnium, quae in orbe nascuntur, conditio est, ut nihil firmum ac stabile reperiatur: Nihilo minus tamen crebriores velocesque eorundem commutationes suspensos mortalium animos tenent omnino & attentos. Vterque enim ordo brevi tempore diminutus, docentium pariter ac percipientium hic artes liberaliores. Huic autem illata clades tanto gravius affligit omnes, quanto insperatior accidit: nec attriti diuturnitate morborum & aetate, sed corpore validi animoque vigentes decedant. Periclitatur hoc pacto salus Patriae, qua dulcius in vita reperiri nihil potest, & iure deplorantur illi, cum consolari posteritatem deberent, remque publicam aliquando ratione & consilio adiuvare. Nemo inter nos versatur, qvin ferat graviter eiusmodi casus & doleat nobiscum, quando, quos praeparari ita vitae futurae videt, praeter mortalitatis ordinem & vota sublatos repentina morte animadvertit. Secus fieret in hoc artium domicilio si mortis ratio posita esset in nostro arbitrio, eiusque legem perinde ac naevos aliquando & errandi vitia in Iuventute aboleremus. At vero idem nobis usu venit, quod interdum in aestu maris navigantibus, qui, impedita remigandi contra tempestatem facultate, vela navi animoque vires remittunt, & necessitati cedunt. Equidem, quos ablegant parentes filios, diligenti complectimur cura, ut nobis ducibus in sapientiae studio progrediantur feliciter, sed fingere

non

non possumus ex ingenio valetudinem integram, etsi regere eandem aliquo modo licet, sed in conservandae eius parte divinae voluntati ac consilio libenter obtemperamus. Vtinam, Nobilissime Fademrechti, ex eorum numero esses parentum, qui filios, nostrae commissos fidei, cum gaudio fructuque repetunt, merito in aliquam laetitiae veniremus partem, Tibique ex animo gratularemur. Ast iniqua iam Tua pariter & nostra conditio, quando Tu filium, eundemque unicum & carissimum, nos disciplinae nostrae alumnum, ad virtutis & sapientiae laudem egregie enitentem, lugemus. Non sine tristi recordatione cogitare possum de precibus honestissimis, quibus ante menses septem nostrae curae filium commendares, atque identidem humanissima literarum compellatione meam operam, fidem & erudiendi dexteritatem ipsi velles conciliatam. Satisfecit uterque Tuis, ut spero, votis, quando laboravimus enixe, ne aut ipse in eo ornando iuvandoque remissus, nec filius ulla in parte languidus, vacuus, aut otiosus inveniretur. Nemo non admirabatur egregias naturæ dotes & singularem ingenii aciem, ad quam si alia doctrinae subsidia adiungere potuisset, is sine dubio evasisset, quem patria extiturum iudicabat. Nec minus uti ingenio florentissimus, ita sanctissimus proposito, cautus adversus illecebras lascivientis iuventæ, ac nulla contaminatus labe & vitio vixit. Quo in officio eum non metus, sed amor continuit virtutis, &, quam prudenti parentis institutione domi esset educatus, patefaciebat. Vnde turpe sibi ducebat esse, nisi illum vivendi ordinem alibi quoque servaret constanter, & laudabili agendi ratione paternae laudis viam ingrederetur. Hi solent esse elegantissimi fructus disciplinae domesticae, quibus alioqui destituuntur parentes, qui depravato morum exemplo iuventuti nocent, aut indul-

genti-

gentiores nimis in educanda ea sunt aut plane remissi. Stetit hoc olim Graecorum pariter virtus ac Romanorum gloria certissimo munimento institutae feliciter iuventutis & rectis vitae exemplis ubique confirmatae. Non aliter civis noster vivam laudis imaginem quotidie in antiquo Teutonicorum equitum castro, Mariaeburgi, ubi nascendi primordia cepit, est intuitus, & instrumenta doctrinae liberalis hausit. Est Mariaeburgum non sterilis ingeniorum mater, & admirabili divinoque plane beneficio ei datum, ut quamplurimos non vulgaris ingenii iuvenes ad nos mittat accuratioribus scientiarum praesidiis corroborandos. Qua in parte gloriae cum maioribus potest contendere civitatibus, ubi literarum honor fere obliteratur, & eruditi coetus ornamenta iuxta & praemia periclitari quodammodo videntur. Quare nemo dubitat, quin florere semper optimis ingeniis & abundare queat, quorum opera patriae res & aliorum, ubi necesse est, locorum fortuna sustineatur. Quas industriae partes ut sibi aliquando deposcant, & dignitatem patriae literarumque decus augeant omnes, qui iam hic studiorum causa versantur, ex animo precor. Hos inter sibi aequales Beatus concessit nemini, pietate in Deum, obsequio, industria & inexhausta propemodum discendi aviditate. Quos nobilissimos animi impetus cum retardare nihil posset, retinuit vis morbi, quae omnia elusit remedia, & mortis celeritas laudis retardavit cursum. Haec laborandi meta, ad quam pervenit noster, quo fortunatior, hoc minus ei invideri debet, formidolosi temporis calamitatibus erepto. Quippe desiderio ipsius consultum voluit Deus, & in aeternam beatorum societatem, quam unice, spretis mortalium rebus, optabat, evocavit. Hoc evidentissimo cum voluntate divina consensu emigravit e vita, coniunctusque cum Deo coelestis gaudii usura recreatur. Quae felicissima filii conditio aliquam penes Te, Nobilissime Vir, consolandi doloris habebit facultatem, neque magis dolebis illam familiae amplissimae cladem, quam de Triumpho filii ex mundi miseriis nunc acto, pie gaudebis. Nec minus religione animi, qua Deo vivis, prudentia & consilio anteferes lugendi modum, quem alioqui diuturnitas temporis sensim mitigare solet. Est Deus, qui Tuam fulciet fortunam & reprimendi luctus afferet medelam. Quem quoque Tui causa imploro, ut amplissimae familiae pariter ac Tuis in Patriam meritis faveat in posterum, superataque hac clade aequabiliori fortunae cursu Vos uti sinat. Dab. Thorunii. ipsis Kalendis Septembribus, CIƆIƆCCXII.